




Nochingerus.

*Joannes Casi-
mirus.*

*Gedani.
1631.*







S

J

D

IS

186

SERENISSIMI ET POTENTISSIMI
PRINCIPIS,
JOHANNIS
CASIMIRI,
DOMINI NOSTRI CLEMENTISSIMI,
THRONVM REGIVM,

SUBJECTISSIME COLENDI CAUSSA,

SOLEMNIS ACCLAMATIO,

ANN. M DC XLIX. POSTRIDIE DIEI,

QVO SVECIAE IDEM REX

REX ITEM EST CORONATUS POLONIAE,

DIE XIIX. JANUARIJ, HORA IX. MATUTINA,

IN,

GEDANENSIS NOSTRI ATHENÆI,

AUDITORIO AMPLISSIMO,

CVM DEO, HABENDA;

ATQVE

IN GLORIAM,

SACROSANCTÆ DIVINÆ MAJESTATIS,

SACRÆQVE REGIÆ,

AB VRBIS PATRIBVS, FRATRIBVS, CIVIBVSQVE,
ISTHOC HONORIS ET AMORIS NOMINE SALVTATIS,

UNIVERSIS AC SINGULIS,

PROPENSE AUDIENDA;

PUBLICITUS INDICITUR.

A
JOHANNE MOCHINGERO.



AD LECTOREM

HONORATVM ADAMATVMQVE:
CVM VOTO, VT CVICVNQVE BENE SIT!



ostium in thronum (Regii pace
throni, hac appellatione, jam olim
apud Græcos tritâ, fas sit insignire
sedem excelsam Oratoriam) pe-
dem iterum inferre est visum, & fe-
liciter acclamare in Regem Polo-
niæ electo, jam etiam antè Regi Sueciæ hæreditario,
JOHANNI CASIMIRO, Domino & Augusto no-
stro Clementissimo. Idq; prorsus duxi esse officii.
Quemadmodum enim istud muneris ad gentium ma-
jorum spectat Rectorem, ut, pro tribunali, sententiam
frequens pronunciet: sic (magnis parva si fas est com-
ponere, & sceptris plectra æquare) ad minorum in
eloquentiâ informatorem, quem Rhetorem vocare,
consuetudo pariter Græcanica, pariter Romana ob-
tinuit, non rarò ad perorandum surgere in suggestu,
atq; professionis suæ edere opera. Ac præsertim verò,
cùm magnorum momentorū se offerunt occasiones,
adeoq; opportunitates optimæ. Qualis illa, quæ jam
est præstò, sanè profectò egregia, imò regia. Sicu-
ti nec intra hæc penè quatuor lustra, quibus hæcte-
nus, divinâ favente aurâ, defudatum est in Gymnasii
nostri circo, facile passus sum mihi elabi tacenti,
quæ occurrere, confimilis notæ honorifica dicendi
tempora. Enim, citra jactantiam, quam minimè
omnium nostri hominem ordinis, nempe sacri illius,
decere



3136

157

decere memini, hæc commemorare habeo moris nostri. SIGISMUNDUM III. denatum planxi. Applausi VLADISLAO IV. electo. Subq; eo instauratæ his in oris pacis & quietis publicæ, quæ gaudemus, inenarrabile bonum extuli. Et nuper defuncti ejusdem VLADISLAI in luce posui fortunam. Nunc igitur, in Regium locum surrogato, CASIMIRO (vitam nostram, homuli non tanti, benigniter producente Domino Deo nostro, sub unius & alterius Dominorum fatis) adeo nolui partibus meis deesse, ut illas, pro viribus, implendi, comprecatus Numen, animos sumserim. Quos etiam auxisse sensi, ex recordatione superiorum experimentorum, quæ eam fiduciam mihi ingeneraverunt, fore iterum omnino, ut audiar, aut non malâ cum gratiâ, aut, etiamsi cùm splendidâ, tum amplâ & doctâ coronæ auribus, ne dicam propositi sublimitate, inferiora proferantur, bonâ veniâ. Neq; diu multumq; deliberavi, sive circa materiam deligendam, sive circa dictionis figuram comminiscendam; sed, nostræ mediocritatis consuetudinem tenens, sum occasionem amplexus, & rem præsentem, unde, facile efflorescere posse judicavi justam aliquam Orationem. Tempus eò adhibitum, quod licuit decerpere à tot ad populum allocutionibus sacris. Longè lateq; arcesitam dicendi pompam illis in alto positis Heroibus relinquo: mihi memet infra medium libenter collocanti curæ cordiq; erit parabilem prompto & sincero animo prodere sermonem. Edicam autem modò breviter, quid igitur consilii ceperim, quidque, suprâ dicto loco & tempore, explicare libeat, non nimio opere tamen longum facturo. Ostendam videlicet, meritisimò sic nobis videri, quòd

quòd admirabilis divina providentia clementer, & laudabilis Electorum Polonicorum (quorum numerus non ex antiquo Germanico Septemviratu, vel novo Octoviratu, sed chiliadibus, imò myriadibus, hoc est, universà incomparabilis Nobilitatis Sarmaticæ coronâ, constat) circumspectio prudenter, in solium Regale evexerit JOHANNEM CASIMIRUM, SIGISMUNDI III. filium, VLADISLAI IV. fratrem, & plurimis Cæsaribus Regibusq; cognatum sanguinem. Quo declarato, personæ nostræ & pietatis neutiquam immemor, sacra verba paucula fundam, pro emolumento Regis novi, imò verò etiam, quod illo ipso continetur, nostroptè. Favete, quæso, Patres, Fratres, Civesque, & omnes huic instituto nostro: ut fecistis antehac eximiè. Quantò ego quidem minor sum, qui Vos voco, tantò major est Ille: cujus nunquam non studere honori nos cunctos est æquisimum, Regis, atq; cum primis DEI, gloriæ nostram destinavimus Orationem, aut, ut ex tenuitatis nostræ conscientia nuncupetur, quemadmodum sentio, Oratiunculam. Qui sanè nuper admistis oculis pyrii theama effectus; accipite nunc auribus ignei affectus acroama: cujus hæc erit quasi summa, scopusq;: Vivat in longævorum Regum annos, JOHANNES CASIMIRUS, Rex! Floreat Regia GEDANI Urbs in secula, si quæ sunt Orbi ventura! Gloria DEO, & Regum, & Urbis & Orbis Regi immortalis, in secula seculorum! Dabam, è Museo nostro, Gedani, Anno recèns ingresso, 1649. die 14. Januarii.

ORATIO.



CHE

RIO

M

ENN

ES

TRE

DOO

UM

ES

IMI

REN

TRV

LII

NON

VEN

OMN

OPTA



no Reg

dem Re



O R A T I O.

CHRISTIANISSIMARUM MAJESTA-
 TVM REGIARVM ILLVSTRISSE ET
 EXCELLENTISSIME DNE. LEGATE;
 REGIÆ URBIS, GEDANI, PATRES
 NOBILISSIMI,
 ENNI. PRÆCONSULES, CONSU-
 LES ET SCABINI GRAVISSIMI; FRA-
 TRES PLURIMUM REVERENDI AC
 DOCTISSIMI, CUM ECCLESIARUM,
 UM ATHENÆI HUIUS ANTISTI-
 TES EXCELLENTISSIMI, CLARIS-
 SIMI; CIVES SPECTATISSIMI, FLO-
 RENTISSIMIQVE; VOSQVE PA-
 TRVM, FRATRVM, CIVIUMQVE FI-
 LII LITERIS DEDITISSIMI, NEC
 NON STUDIIS CONSECRATI JU-
 VENES CONVENÆ, AUDITORES
 OMNES MIHI IN PRÆSENTIA EX-
 OPTATISSIMI, EXPECTATISSIMI:



Vem & altissimum & am-
 plissimum sanguinem, utpote Cæ-
 sareum Regiumq; , atq; adeo huma-
 ni florem sanguinis, variis in adver-
 sis fuisse tenet; jam autem in augu-
 sto dignissimè collocatū esse thro-
 no Regali, percussus stupet Orbis. Atq; ejus qui-
 dem Regni Regem factum: quod sanè Regnum,
 B Regno-

2.

Regnorum olim maximè præcipuo, celebratissimæ nempe *Ægypto*, non injuriâ æquari potest; imò compluribus in rebus jure anteponi. Fuerit enim illa etiam, quemadmodum à naturæ Bibliothecario laudatur, frugum fertilissima, quæ pariter suorum necessitati suffecit annonam, pariter alienæ, ut publicum Orbis horreum nuncupari cœperit: Sarmatia nostra eidem hoc nomine non palmam tantum reddit ambiguum, sed, citra controversiam, præripit. De re equidem hîc notâ nimis loquar; sed sæpius tamen meritisimò vulgandâ & extollendâ, ut universis universi populis ad admirationem innotescat. Ex largissimo & abundantissimo vicino solo quantum quotannis advehere nobis putas frugiferum illum, & suis, quasi *Pactolum* & *Tagum*, planè auriferum, *Vistulam*, frumenti copiam omnis generis? ne dicam de aliis vitæ utilibus, quid? quòd necessariis. Quantam interrogo? Respondere utiq; ipse ego vix audeo: quia quanquam vero nihil majus dicenti ægrè credere audebit aliquis. Respondebo tamen, testimonii sui calculum calculo meo facile addituris Vobis plerisq; omnibus, qui dicendorum non estis ignari, quin gnarisimi. Apportantur, inquam, annuò, quandoq; quatuor, quandoq; quinq; mille ratibus onerariis, modiorum ad sex septemve milliones, qui quasi tribus, vel quatuor, millionibus *Uncialium argenteorum*, numeratâ semper paratâ pecuniâ, veneunt. Quam tantam, pro tam magnâ mesium suarum vi, messem auream metunt possessores; nostris mercandi curâ alex plenissimâ relicta, qui divendunt superfluum & *Belgis* & *Hispanis*, aliisq; *Polonici panis* egentibus, ut ut cætera bene opulentis. Ecquantum verò *Cereris* suæ illa ipsa
sibi

189
sibi retinet copiosa & dives genitrix, liberorum su-^{3.}
orum innumerabilis multitudinis alendæ gratiâ?

Longi de reliquo sermonis res foret, alias, easq;
quamplurimas, telluris atq; gentis Lechicæ laudes,
ac potissimum, sive illius amplitudinem, sive hujus
generositate perstringere, ne dicam explicare: cu-
jus & telluris & gentis multimodis laudatæ Rex jam
audit JOHANNES CASIMIRUS, Domi-
nus item noster clementissimus. Quem quidem Po-
loniæ; quem magni Ducatus Lithvaniæ; quem Ter-
rarum annexarum, ut & nostræ Borussia (quarum
ista Regnum jam pridem fuit per se sola, ille Duca-
tus certè profectò, & hæ terræ multis Regnis anti-
quis & novis sunt præstantiores) Regem esse ele-
ctum, sive tot Regnorum Regnatorem, non sine
singularis providentiæ divinæ & humanæ prudentiæ
claro indicio; ut jure agnoscimus, ita meritò de præ-
dicamus.

In quem sensum me ex hoc suggestu disertatu-
rum omninò benevolentissimè auditum iri, tam mihi
sum certò pollicitus, atq; istud nunc, ex frequen-
tissimo hoc cœtu, & illis omnium tam intentis in
nos oculis, inq; coeptam dictionem nostram auribus,
jucundissimè perspicio. Prodire igitur volui de Rege
peroraturus, tam quidem officii & moris nostri caus-
sâ, quàm studii, aliquantillum (quin verò etiam nul-
lus timeo eloqui, tantum insuper, quantum restare
dixi) adjiciendi ergò ad cumulum honoris, quo le-
gitimè debiteq; nuper affecimus Dominum. Ho-
noravimus, precationibus ad Deum pro eo fuis, &
adhortationibus ad populum obsequii monendum
factis; honoravimus æneis fistulis displois: honora-
vimus, campanis & tubis sonantibus: honoravimus,

4.

pyrio pulvere animatis jaculis, ob festivitatem & oblectationem turbæ, in auras emissis: honorare itaq; deniq; eundem fuit visum reliquum hac Oratiunculâ nostrâ, Regiæ existimationi dicatâ: quæ, ut splendorem & auctoritatem per se ipsa non haberet, à loco tamen & Auditorio hic futuro præsentem eximiam esse accepturam, apud animum meum prævidebam. Ex illis enim experimentis nostris aliquot augurabar bene, adfore modò talem concionem, qualem nullam illustriorem in ullo Civitatis hujusce theatro videre datur. Quemadmodum, multâ & multò maximâ cum mentis meæ voluptate, hic modò iterum coram intueor Christianissimarum Majestatum Regiarum Illustrissimum & Excellentissimum Dn. Legatum; eminentem Patrum Curiam; Dicasterium Scabiorum sanctum; fratrum reverendum Presbyterium; Collegarum doctum Gymnasium; Civium ornatissimorum varias tribus; Patritiorum elegantem numerum; & pulcherrimam majorum & minorum Quiritum manum. Quâ tantâ apparente multitudine utiq; insigniter coli Regem, quidni omnium eadem mecum sit sententia? Quàm enim tralatitium alicui videri potest, uti mihi ipsi sic videtur, meo hominis, ne dicam Rhetoris, mediocris sermone celebrari Sacram Regiam Majestatem; tam gloriosum, credo, æstimabitur, edi vocem nostram, annuente & approbante maximè egregiâ isthac coronâ.

Ego verò, quamvis id per se est notum, (& factum id à nobis nunquam non, futurumq; impossibile) ut dignitati Regiæ modis studeatur omnibus meritissimò: tamen CASIMIRI in oculis ferendi momenta, qualia libenter in æstimatione habent, & non apud se non pendunt cordati Catones & catapecto-

5.

pectora, in memoriam Vobis revocabo. Quorum partem caelo deducam; partem sub Sole exstare simul declaratum dabo. Atq; ut longiori serie proferenda ad summam redigam, curæ mihi erit proponere, esse cum utiq; omni honoris genere prosequendum Regem, quem & Deus, sine dubio, dedit, & Megistanes Poloniæ, Lithvaniæq; ac Ditionum sociarum, nosq; ipsi, magno cum universorum & singulorum consensu & applausu, approbatum ivimus. Cui demum fausta apprecabimur Regi Dominoq; nostro, & quod dictione in præsens intimavimus; opere, quam diu nobis vivere concessum, hoc est, illi imperare, nobis parere, nunquam & nusquam immemores continuabimus.

Næ parùm esset dictum, ego certè sic existimo, parùm fore, si eò solùm nostra tenderet Oratio, ut ostenderetur, laudabili consultatione Magnatum, (qui tamen nonnisi homines sunt, utut plebe exempti) CASIMIRUM esse electum in Poloniæ Regem, eorundemq; humanis manibus, pridie hujus lucis, diadema ei impositum: nisi excelsiùs & sublimiùs rem repetens liquidum facerem, mirificissimâ id factum esse ipsius Optimi Maximi autoritate & moderatione, ut thronum conscenderit, & capessiverit fasces.

Non verò hic Scholam eruditam habebò, cum recentiore quidem, sed veteribus nihil inferiore, Politico monitore doctoreq; Justi nomine publicè notissimo, qui, suo loco, Regna & Reges à Deo dari, præclare monet, ac exquisitis exquisitissimeq; enarratis exemplis docet: sed populari & facili recordatione eorum, quæ huc faciunt, nos in eo sensu confirma-

C bo,

6.

bo, qui jam pueris nobis inhæsit, Deum esse Deorum Deum, & Regum Regem, Regnorumq; distributorem. Didicimus enim istud adhuc teneri, cum Christianorum propria, quæ ad fidem vitamq; pertinent, ex illo credendorum & agendorum breviculo, seu pinace, primò omnium cognovimus, & hoc ibidem adscriptum præscriptumq; enthei gentium didascalici oraculum: Non est Magistratus, nisi à Deo: & quisquis est Magistratus, est à Deo. Quod ego effatum unum sexcentis, quanquam ejusdem sententiæ, paganorum quorumcunq; Magistrorum; sive nominatim illius, ut audit, Philosophorum Dei, Platonis, sive sic supra modum elati, dicto:

Quo minor est, quisquis maximus est hominum;

Aristotelis; sive illius, non eloquentiæ tantum, sed etiam, si quid ego judicare possum, sapientiæ Romanæ Parentis, Tullii (taceo alios, cum his non comparandos) sententiis & pronunciatis longè longèq; præfero, atq; eapropter cito lubentiùs: quemadmodum hoc sensu mecum congruere arbitror omnes religiosè doctos. Eaq; sententia, de Potestatibus desuper originem & auctoritatem habentibus, penitiùs nobis infixæ est, ex conscientia eorum, quæ domi accidisse commemoramus, hoc est, historiarum domesticarum, quæ ut nobis sunt multò cognitissimæ, ita persuasissimæ. Cui etenim non fiat credibile, Numinis quasi manu præberi Dominatores, hominum autem tantummodo prehendi, quisquis memor est nostrum Tui, Piasse, ad principatum Poloniæ (non dum apice Regio eminentis) summum, non aliter, quàm divino modo, vocati, an pertracti? Cum videlicet Popielus junior, majoris Popieli successor,
mali

7.

mali corvi malum profectò ovum id est, pessimi Patris deterior filius, à murium horribili catervâ, divinitus in vindictam immisforum (cùm, idem æquè docente monenteq; honoris causâ suprâ commemorato, Principum animorum informatore, Regna & Reges tollantur à Deo, ut dantur) ab usu gubernaculi & vitæ depulsus esset; imò, cum suis, uxore pariter, pariter & liberis, parentes malitiâ referentibus, animalculorum, quæ ex cadaveribus suo & conjugis nefario ingenio peremptorum cognatorum ortum habuere, pabulum factus (o exemplum nunquam silendum, obliviscendum nunquam; ex quo videre est, nihil utiq; minùs esse ingeniosum Numen ad puniendos ipsos à se constitutos Dominos, quàm hi sunt ingeniosi ad peccandum!) Cùm, ajo, Popielus principatu & luce orbatus esset, quem miserè perturbati Lechitæ reperire non potuerunt sibi meliùs imperaturum, fata ostendére, digito quasi intento in quendam ligone operantem, nec quicquam minùs exspectantem, quàm sceptrum. Is erat Piaustus, integer vitæ quidem, scelerisq; purus, & mirificè hospitalis; sed oppidanus, agricola, &, ut vulgato Sarmatis utar nomine, Cmetho. Qui, præter opinionem, sed ad summam rei communis salutem, salutatur Dominus, Princeps, ac quasi Rex. Quem quasi coelitus delapsum manifestissimus Numinis favor est semper profecutus: ut Poloniam pacatissimè adgubernaverit, & vitam suam usq; ad annum vicesimum, ultra centesimum, produxerit: quiq; post facta superstes, seculorum quinq; decursu, regnavit in post-genitorum longum perdurante ordine, aut Principatum, aut Regnum Polonicum administran-

8.

tiam; quiq; etiam nunc verò floret in Ducibus Li-
gnicensibus & Bregensibus. Ita videlicet hic Princeps,
ex peculiari, ut nemo facile inficias ibit, Dei bene-
volentia, contigit Sarmatix: quã geminã divinã be-
nignitate eadem etiam Regem jam jam commemo-
randum, dubio procul, est adeptã. Casimirum in-
quiro, quem vocamus primum. Sub cujus quidem
nativitatem tellus Sarmatix universa insolito horro-
re est concussa, non tamen penitus malo, sed bono
potius omine. Explicuerunt etenim se demum fata.
Quia, sicut, sub Rixã, Casimiri matre, rerum cum
Regiã potestate potiente, mirã & pertinaces omni-
um statuum rixã, atq; inde omnis generis orta mala,
ultimam penè cladem Regno procreavere: ita Ca-
simirus, ex Cluniacensi Gallix cœnobio receptus,
divinam planè felicitatem secum ad regimen adduxit.
Non enim Amnestiã tantummodò, quã nunquam
non præsentissimarum virium est deprehensa, tan-
quam Panacea decantatissima, morbos simultatum,
inter suos immane quantum grassantes, faustiter su-
stulit: verum etiam armorum vi compescuit Mas-
laum, Masovix Ducem, & majores nostros, Prus-
sos, finitimorum antiquã ægritudine laborantes.
Quem Casimirum etsi metuo cum historiã Polonicã
novitio conditore dicere, calamitatibus, precibus &
laboribus gentis, repugnanti velut Numini extortum;
nihil tamen vereor affirmare, à bene cupiente Nu-
mine esse obtentum. Ne multa. Sicuti à Deo pro-
ficiscuntur bona dona omnia, à Patre luminum:
ita & Rectores populorum: iiq; Piaslei illi & Ca-
simiriani.

Quemadmodum, me istud nondum eloquente,
Vobis

9.

Vobis AA jam quoq; occurrise in memoriam CASIMIRI illius, vel maxime in praesentia dicendi & intuendi, nullus ego dubito. In quo nunc Rege Dominoq; nostro haud sane obscurum mihi videor animadvertisse fati egregie propitii signum; quod, quomodocunq; possum, aut potius debeo, in luce ponam, Vestrorum de caetero animorum considerationi id magis commendans. Applicuit is animum, annis superioribus, ad se regem a seculi curis solitudinem & solitudinem; sed aliud optante Fratre Vladislao, quem sic fatidico quasi spiritu correptum fuisse res loquitur: cum aliud plane expetebat esse factum. Namq; hic Pontifici, suscepti a CASIMIRI devotione status nomine, gratulanti (quod publice notum) respondit; minime sibi conveniens videri, Regium sanguinem claustris leptisque privatis concludi: cum sit gloriosius, publicae populorum utilitati praelucere: dum Principes, summa eorum regulam attentam, & supremo officio, salutis populorum prospiciunt, fines imperii ac orthodoxae Religionis proferunt, cultum augent divinum, ceremonias, res ac personas sacras, vel vitae propriae periculo, tuentur: quibus occupationibus & illud caeleste, & terrena Regna sibi comparant. Proh verba cedro digna & cedri superatura aetatem! Atq; ita praesens declarat eventus, jam demum eo esse loco CASIMIRUM, ubi esse debebat. Sicuti igitur, sapientissimo Hebraeorum Rege isthoc nobis prodente, in suis divinae sapientiae plenissimis proverbiiis, in ore Regis est vaticinatio: ita jam olim praedicta a Rege nostro illo beate defuncto, nunc Regno fungentis, sui successoris, evectio. In quem

D

uti,

10.

uti, o sancta Divinitas, tam luculentè admirabiliter contulisti dignitatem tantam, nempe quæ à Tuâ est secunda: ita fac, quæsumus, ut Tuæ æmula bonitas & justitia in eo conspiciantur luculentissimè!

At multò etiam plura AA. divinæ directionis, ex humano Dominum Regemq; nostrum ad solii Regii honores vocantium Procerum paululùm explicato consilio, jam jam annotabo argumenta, Quos quidem tam multos in unum deniq; potuisse conspirare, quem Regem esse suum voluerint, nonne cœleste fatum esse, aliquis planissimè mihi largietur? A Septemviris Germaniæ decerni Imperatorem, cœlo adscribitur; ecquid igitur non cœlesti imperio istud, sine exceptione, tribuendum, cum Numinis afflatu tacti tot milleni, (ex quibus penè infinita constat nobilitas Polonica) uni deferunt sceptrum; etsi licet liberè ac licenter hi ab illis dissentire queant, illi ab his, atq; adeo sæpe ac diu, discordiâ luxuriante, dissentiant. Quemadmodùm omnes, omnes tandem voluimus CASIMIRUM nobis præesse; illi nos subesse. Inspirante id autem utiq; Domino Deo esse factum, quantum possum, clarâ voce dico, edico, proclamo. Non enim commune solum virorum nobilium Sarmaticorum hoc placitum fuit, hæc mentis eorum vox, à Præsule primùm prolata, tum à Mareschallis publicata, Rex esto CASIMIRUS, qui vivat: sed divinum quoq; placitum, divinæ vox mentis. Illis hanc mentem indidit supera mens. Quæ uti illam sapienter ducit, ita ingerit quædam, in quibus voluntas conquiescit inferior. Sicut pergam alias divinæ suggestionis & assensus humani, in complectendo hoc Rege, sed tamen tantùm obvias aliquas (qui enim

ego

II.

ego è profano vulgo, vel omnes, vel arcanas illas & sanctiores possem?) stricturas commonstrare. Tantò nempe charior erit nobis noster Dominus, & nos ejus honorandi studiosiores, quantò altiori & justiori æstimatione perpenderimus Regiæ constitutionis pōdera.

Est apud Polonos se subicere, cui volunt, tam liberum, atq; est apud gentem ullam: sed illi, more tamen & amore suorum, quibus se spontè semel submisere, eam ferè tenent in faciendis Regibus rationem, quæ providentissimè tales admitti arguat, qui electi cùm regnare bene noverunt, tum liberos educare, regni favorem & suffragia aliquando merituros. Eunt per gentis annales offerent se quàm plurima exempla, probatorum in Regiâ dignitate tuedâ Patrum filios esse approbatos, & suffragatione Ordinum communi succesores designatos. Præcipuorum duntaxat quorundam nobis in mentem veniat. Idq; consuetudinis maximopere contemplatione & prædicatione dignæ, ob specimen temperatæ successionis cum electione, jam ab antiquo servatum videas. Enim Lesco, qui IV. est dictus, adhuc impuberi, seu rebus gerendis nondum apto, quanquam, ut videbatur, apto nato, tanquam Ziemoviti primi filio, & Pialti nepoti, ad declarandam Parentis & Avi, complurium annorum & ponderum, meritis gratitudinem, Ordines Principalem ultro obtulere auctoritatem. Vladislao item Hermanno, Principi optimè merito, pace omnium, succesit Boleslaus filius, oris curvitate quidem deformis, sed rectitudine & fortitudine pectoris, domi militiaq; incomparabiliter ostensâ, formosissimus Princeps. Quo in sagi gloriâ nullum certè habuit Polonia præstantiorem:

D 2

& hunc,

ter
est
tas
nis,
olii
ex-
ta,
isse
nne
tur?
celo
tud,
flatu
t no-
et li-
o his,
iant.
CA-
rante
ntum
on et-
mati-
vox,
s pu-
sed di-
s hanc
n sapi-
luntas
æ sug-
do hoc
i enim
ego

& hunc, quem habuit, ob numerum & dexteritatem
 præliorum cum hostibus initorum, ipsis illis Marcel-
 lis, Juliisq; Romanis opponere ex vero potest, Mar-
 tis genuinum pullum. Atq; hujus etiam filius, ejus-
 dem nominis, post fratrem Vladislaum, est assequu-
 tus Principatum, Regni tunc titulo exutum. Nec
 non verò Polonia, Regni nomenclaturâ honorificen-
 tissimâ iterum gaudens, Regem ordinavit Vladislai
 cubitalis, sive parvi, magnum filium, ut nominatus
 est, Casimirum, maximumq; verò etiam, multo jure
 suo, nuncupandum. Fuit enim verè Augustus Po-
 lonicus, suis, ob togatas virtutes, amor; formido pe-
 regrinis, ob sagatas. Ille juris fuit fundator: ille ple-
 bejorum non minùs, imò multò magis eorum fuit
 Rex, quàm plebi invisorum: ille civium, & istius ci-
 vium Cracoviensium Consulis, gente Germani, opu-
 lentiâ tantopere se efferens apud exteros, convivio à
 Consule, Veringo dicto, pro Regiâ dignitate, secum
 exceptos tres Reges hospites (quales parelii in Po-
 lonico horizonte nunquam aliàs conspecti) quan-
 topere suâmet ipsius. O Casimire maxime, perpe-
 tuâ evehende laudatione! Unâ tamen infelix es hac
 causâ, quòd sanguinis & imperii traduces nullos re-
 liqueris, quos optio spontanea ambabus passis fuis-
 set ulnis amplexa. Sed, ex decreti divini lege, non
 debuit longiori arbor Piastea in campis Poloniæ
 crescere ævo. Quid notiora? quid? quòd notissima,
 commemorem? Quis natos à Jagellone, Regum
 Parente, Avo, Proavo, Abavo, Atavo, Majore, li-
 beros, nepotes, pronepotes, abnepotes, trinepotes,
 posteros sceptris Sarmaticis fulgidos non potest re-
 censere? Quis? Nisi hospes In patriâ? In quem
 ergo

ergò alium, sede Regià nuper vacante, ultima Ele-
 ctorum Polonicorum univerforum & singulorum de-
 stinatio tenderet, qui potiùs fuisset tenendus, & in
 thronum reponendus, quàm in eam Jagellonis pien-
 tissimi, & longâ serie sequentium terq; quaterq; in-
 clytorum Regum propaginem, filium Sigismundi IIIⁱⁱ,
 per annos ipsos quinq; supra quadraginta prudentis-
 simè; fratremq; ex Patre natu majorem, Vladislai IV.
 sedecim annorum spatio felicissimè, regnantis, JO-
 HANNEM CASIMIRUM? Quò respexisse
 Serenissimam Rempubicam, & simul illum Dei nu-
 tum, cujus fato Regibus nascuntur filii, ut, patribus
 denatis, cœlesti concessi munere, à Regno coo-
 ptentur; religione perculso animo, virgulæ divinæ in-
 star, attendisse, constitutio Electoralis satis disertè
 loquitur.

Ubi illico & alterum inclinata erga JOHAN-
 NEM CASIMIRUM voluntatis instinctum
 clarissimis verbis publicè proditum accepimus, vali-
 darum utiq; virium & efficaciar validissimæ. Obser-
 vatum namq; est probè, eum Poloniæ natum Prin-
 cipem sic ab utroq; Parente, Sigismundo, simul Sue-
 ciæ hæreditario Rege, simul Poloniæ electo, & Do-
 minâ Constantiâ Austriacâ, sic nunquam non fictum
 formatumq;, ut par esset aliquando Regnis. Ipse
 autem Princeps insuper tam evidentia, ætate augen-
 te, indolis Regiæ dedit documenta, ut non potuerint
 non in oculos involare omnium. Studiis animi ani-
 mum excoluit: exercitationibus corporis corpus;
 utrisq; Regio Principi, imò Regi idoneis. Cùm il-
 lorum verò, tum harum fructum etiam experiri ar-
 sit in adita militiâ. Martio se mense in lucem pro-
 diisse

E

diisse

diisse recordatus, & ideo in Martio quoq; pulvere pedem ponere officium duxit. Atq; in campum prodiens non eos intulit spiritus, ut videretur sibi è vestigio Iphicrates, qui jam posset imperare equiti, sagittario, veliti, legionarioq;, aut nescio cui non, etsi nihil horum fuisset: sed pectus ingens attulit, tales animos concipiendi, quibus eget belli, nomine magis, quàm re belli, spectator, pars, partiumq; imperator. Principiò, sub Patris circumspèctione, ut castra & exercitum Polonicum Suecicæ aciei opponendum lustraret, venit ad arcem Mariæburgensem. Deinceps autem, fratre sceptrum & arma patria gerente, cum fortunâ Vladislai, profectus est adversus fidei & juramenti oblitos illos, cinctus legione, quæ tantâ salute Smolenscum insidentes Polonos affecit, quantâ clade obsidentes Moscos, illis feliciter solutis, his victis vinctisq;, & non prius liberatis, quàm ad Vladislai gloriosos pedes accidissent; cujus honoris **CASIMIRUS** factus est particeps, quia factus erat à fratre socius belli, & summus vigiliis (maximæ curarum bellicarum) præfectus.

Ecce autem nobis victor mortalium ferè eâ tempestate occubuisset, victus ipse ab immortalis: cui facile est inq; proclivi, non servulos tantum & gregarios, sed Regulos Regesq; ad mortem conficere, sine ullis hastatis copiis, solâ autem morbi unius, imò morbillorum ope, opem aliquando nescientium. Ita **JOHANNES CASIMIRUS**, cum Fratre triumphatore ovans, super Turcicâ etiam manu fractâ, in ægritudinem illam, quæ pueris parvis est infesta, Leopoli incidit, ac penè occidit. Sed servatus est (letho datis prodigiòse, circa illud tempus, atq; uno quidem die,

die, & eodem, ex quo evasit **CASIMIRUS**, morbo, fratribus duobus Principibus, Alexandro, verè Alexandro futuro, si ætatem Magni illius attingere licuisset, in Poloniâ; & Johanne Alberto, in illâ laudatissimâ melioris commatis medicorum officinâ, Patavii) & ereptus, Dei solius, meâ sententiâ, utpote vitæ mortisq; nostræ arbitri, arbitrio, cujus videmus jam scopum toti Orbi illustrem. Sic vitæ redditus Princeps, cùm domi non posset se perficere & proficere armorum usu, foris se circumtulit, & militarem fortunam ambiguis passibus errantem variè expertus, perdidicit intima arcana grandis istius profundi, quod felle tinctum manavit ab ore Comici Pœtæ impio, in ejuscemodi sonum:

Dii nos quasi pilas homines habent: melle autem mero & sincero delibutum, ab ore Tragici Prophetæ pio, dicentis: Scio, Domine, quòd hominis viæ non sint penes eum: nec in potestate illius situm, quomodo ambulet, aut cursum suum dirigat? Igitur cùm, supremo sic jubente, Regnis terrestribus decessisset, & ad superna contendisset, Vladislaus IV. anno vix elapso, remeavit in patriam **JOHANNES CASIMIRUS**, tam sibi, quàm Coronæ universæ, Rege desideratissimo orbata, acerbum Fratris sui studiosissimi obitum moerens lugensq; sed, erigens se tamen, sua in genitale solum & solium studia, honesto candidati ambitu, enixè declaravit. Nempe eò intentis tot annorum, qui sunt circa quadraginta, conatibus omnibus collineaverat, ut posset natalibus aris focusq; prodesse, fatis divinis & votis humanis faventibus. Quam interiorem animi sui cupiditatem & stimulum jam olim in Reipublicæ luce

16.

eximiè posuit, cum suo, & fratrum juniorum, nomine, adsciscendū ad Regni gubernacula desideravit fratrem natu maximum, Vladislaum, dicto, & cum nominis sui, ac verborum suorum in nuper evulgatis Chronicis Poloniae, quæ nullis hæcenus exstantibus secunda sunt, perpetuaturâ memoriâ, dicto: Ego, ac fratres mei, in sinu istius Reipublicæ, communis Vobiscum Parentis, nati, enutriti, eidem almæ nostræ matri, non nisi felicissima quæq; precamur, & pro salute ipsius vitam nostram devovemus.

Perinde itaq; ac mater viro viduata natum suæ incolumitati superstitem rebus omnibus cupidissimè præficit: ita factum est, ut Polonia, re sic ferente, filium suum, Parentis honore & curâ dignata fuerit, existimans, hoc Patre Curatoreq;, tantâ se quiete & felicitate gavisuram, quantâ unquam, sub aliis antecessoribus, consimili Numinis procuratione oblatis, & communi suo consilio arreptis, floruit vigitq;.

Ac præsertim verò sub Casimiris: quorum quisq; fuit Sarmatiæ, tanquam benignus & potens luminum & influentiarum inde manantium variarum dispensator, Sol. Proinde & nos modò AA. paulisper insistamus **CASIMIRI** tertii (nam duorum jam antè quoque est facta mentio jucundissima) oppidò opportuna recordationi, quæ certissimè nos spei bonæ plenos faciet, dum se nobis juxta cum illâ sistent valde læta omina & auguria sortis nostræ, quæ sub recturâ jam clavo Politicæ admoti **CASIMIRI** est expectanda. Successit tertius ille **CASIMIRUS** Fratri ætate se antegresso, & Patri, ante utrumque filium, Regni gubernacula tractanti. Enimverò idem fatum esse novimus jam secuti Fratremq; Patremq;
simix
CASI-

CASIMIRI Tertius autem **CASIMIRUS** est ille ipse, à quo prosperrimè obtinuimus, præter alia duo, nobile illud palmariumq; Palladium (quod nobis ipsa Anni millesimi quadringentesimi & quinquagesimi septimi Dominica Cantate, ad custodiam & memoriam, cantu & jubilo semper exhilarandam, commendavit) quo salvo salva est Civitatis nostræ navis, sublato, (quod non illa cœca Præses Minerva, sed vigil Israël custus prohibeat!) in extremâ sumus naufragi tabulâ. Nil sanè dubitamus, novum Dominum nostrum, veteris cognominis fore imitatore, in Regiâ erga Borussos omnes, ac similiter Gedanenses suos, gratiâ, clementiâ, fide. Nos quidem à Crucigeris quondam immaniter vexati, ad terq; quaterq; extollendi illius Casimiri tutelam, ante duo penè secula, tanquam ad sacram anchoram, confugimus: sed item sub hujus **CASIMIRI** patrocinio nullam nobis iri additum crucem, cum erectâ animi bene præfagientis fiduciâ ominamur: quando sufficient, cum coronâ istâ, in obsequiorum nostrorum fidelissimè præstitorum publicam declarationem superadditâ, illæ duæ, quas in Urbis insignibus, superatis atræ gentilitatis, sub Paganis heris, & atrocis crudelitatis, sub cruciferis Dominis, binis infaustis crucibus, triumphantes ostentamus. Hinc, quantâ potuit, alacritate, observantiâq;, quantâ debuit, suo loco & tempore, suffragium **CASIMIRO** nostrum dedimus, cum tanto affectu insuper, quanto effectû, punctis omnium accedentibus, tandem deniq; Rex est creatus, nominatus, promulgatus, coronatus.

Id quod communem in utilitatem, non Orbis tantum Sarmatici, sed & universi quaqua versum patentes, ut vertat vergatq; optimè, meritissimò & libentissimè optamus ex intimis animi præcordiis, & jam

jam optabimus verbis conceptis. Tantum etenim commodorum nobis confidentius polliceri possumus à Rege hoc, ad preces & vota nostra, Domini Dei benignâ dispositione, regiè nato, egregiè educato, mirificè conservato, & accuratâ deliberatione electo: quantum ei bonorum coelitus impetrandorum apprecabimur.

Quamobrem apprecemur **CASIMIRO** annos Piasteos: qui totidem fuere, quot Regis Tartessorum in profanis, aut Ducis Judæorum primi & principis, in sacris literis, relati. Nostra interest, Regem diu regnare, cum bonus. Apprecemur ei justitiæ studium, quale enituit in Casimiro, cui non tam gladii, quam legum cura nomen Magni peperit. Nostra interest, Regem justè regnare. Apprecemur ei pacis conservandæ sollicitudinem: qualis cordi fuit alteri Casimiro, moderato; cujus propensissimâ voluntate cum Ungaris bellum primò per inducias est suspensum, tum firmâ pace sancitâ compositum. Utinam item sub hoc **CASIMIRO**, sequestrata cum Svecis inimicitia præmoriatur, ante finem induciarum certis annis determinatarum, & interminabilis exoriatur gentium affinium amicitia! Nostra interest, Regem pacatè regnare. Sed, omni bellandi ardore in animo Regio nostris appreciationibus quasi extincto, quid fiet istis hospitibus, ultra limites, ut incolatus sui, ita obsequii progressis? Apprecemur, dicam, ut autoritate Piasteâ reprimantur & coërceantur. Quæ admirabilis sanè fuit, & omnis bellicæ felicitatem & vim excedens. Vix Piaustus enim suis manibus sceptrum prehenderat, jam defluebant arma incurforibus ex suis. Latrocinia igitur & impetus petulantium tam facili negotio cohibuit, quam dextram vertit. Apprecemur itaq; ut & **CASIMIRUS** quie-

tis sit amabilis, inquietis terribilis. Nostra interest Regem sic amabiliter & terribiliter regnare. Apprecemur ei verbo uno Christiano, admodum multa paucis complectente, sapientiam Regiam, cujus initium, & quasi Alphabetum, est timor Domini, dicentibus & docentibus duobus Regibus populi sancti, altero à Domini timore, altero à sapientiâ commendatissimo, & utroq; sine pari. Nostra interest, Regem sapientem, & Dei timentem, regnare. Atq; si vel hoc unicum Regi seriò & constanter apprecati fuerimus, potest evenire, ut & reliqua eidem obtingant, & cum eo nobis, liberalissimè. Sic enim compendifaciens votum suum Salomo, ea est à Deo consecutus, quæ sciens volensq; sprevit petere; quia ad divinæ sapientiæ mentem oraverat.

Quod superest, Domine coeli terræq; ter sancta divina Majestas, inspira mihi adhuc grata Tibi acceptaq; pro Rege vota apud Te facturo; sicut, Tuo instinctu, hucusq; apud hanc concionem Tibi devotam pro eodem verba feci. Infans sum, ut apud Regum Regem pro Rege loquar. Da, Domine, Domino nostro, sed servo Tuo, ut dominetur nobis bene; serviat Tibi autem rectè! Nos secundum leges Tuas judicet; seq; ad easdem componat! Privilegiis nos sinat nostris uti terrestribus, & nobiscum fruatur celestibus! Gratiâ suâ nos prosequatur; & Tu eum, æquè ac nos, Tuâ! Faciat nobis bene in hoc, eoq; brevi seculo; & Tu ei bene, in altero perenni & finem habente nullum. Idq; propter Jesum Christum, in quo ut omnes promissiones Tuæ sunt ita & Amen; sic etiam nostræ preces sunt! Ego nihil jam addo precibus; Vos, Auditores, suspiria; Deus pondus. Oravi; peroravi.

✠ (***) ✠



BIBLIOTEKA KÓRNICKA

3136

NICKA

3

M
Joan
m
G